

Handwritten numbers and symbols on the right edge of the page, including: /, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12.





1667.

1. Beckmann, Joh. Volk: De rerum alienatione libera.
- 2<sup>9<sup>et</sup></sup> Beckmann, Joh. Volk: De privilegiis mulierum. 2 Suppl.  
3  
Act. 1689-1745
3. Beckmann, Joh. Volk: De quartis
4. Beckmann, Joh. Volk: De jure stultitiae
5. Beierus, Adrianus: De confessione et infirmitate tacita.
6. Beierus, Adrianus: De silentio et secretitate
7. Beierus, Adrianus: De consensu tacito.
8. Beierus, Adrianus: De sensu tacet tacito.
- 9<sup>et</sup> Falckner, Joh. Christophorus: De jure impuberum singularibus. 2 Suppl. 1667-1735.
11. Falckner, Joh. Christophorus: De immuni latet.
12. Falckner, Joh. Christophorus: De jure



13. Fridericus, Alamus: De Tabaco
14. Mueller, Jo. Jacob: De cereis Saturnalitiis  
aliquae ique lustrico et aliis nonnullis
15. Muellerus, Philippus: De legibus.
16. Muellerus, Philippus: Machiavelles Aristotelicus  
de plagiis dominatibus
17. Nicolaus, Fridericus: De principis majestatem  
dirigentibus actualibus
18. Richter, Christoph Philippus: Decus quae  
hominum illustris
19. Richter, Christophorus Philippus: De actionibus  
mixtis
20. Schmidtius, Joannes: Inegesis examinis Scholasticis  
mi. Saec. I.
21. Schmidtius, Joannes: De antichresi.



22. Schmus' Seluis, Johannes: De conatu

icus


es.

bus

cia.









172.

DISSERTATIO POLITICA  
De  
PRINCIPIIS  
MAIESTATEM  
DIRIGENTIBUS ACTUALIBUS,

21. XXII.  
1667, 17  
18

Quam  
DIVINA SANCTISSIMI NUMINIS  
GRATIA

Amplissimæ Facultatis Philosophi-  
cæ CONSENSU

3

in  
Academia JENENSI florentis-  
sima

PRAESIDE  
M. JO. FRIDERICO NICOLAI,  
QVEFURTO-SAXONE

publice ventilandam Doctis proponit  
EIBENIUS EYBEN,

Esenâ Frisius

A U T O R.

die Octobris Anno M DC LXVII.

---

JENÆ,  
Literis Johannis Jacobi Bauhoferi.



VIRO  
MAGNIFICO. PERSTRENUO. NOBILISSIMO.  
**DOM. HELMER**  
FOLCKERSEÜM.

POTENTISSIMI. ELECTORIS. BRANDENBUR-  
GICI. SUB. GENERALI. PEDITATUS. VI-  
RI. EMINENTISSIMI. DE. KANNEBERG.  
DUCATV. LEGATO. CHILIARCHICO.  
SPLENDIDISSIMO. PRÆFECTO. MINDEN-  
SIUM. GRAVISSIMO.

PATRONO. ET. STUDIO RUM.  
MEORUM. PROMOTORI. POST.  
DEUM. MAXIMO.

IN. DEBITUM. OBSERVANTIAE.  
PERPETUAE. TESTIMONIUM.

DISSERTATIONEM. HANC. PO-  
ETICAM. SUBMISSE. ET. RECTE.  
DICO. OFFERO.

AUTOR.





I. N. D.



Difficilis videtur ad *Majestatem* accessus, cum multa sint, quæ arceant ab ipsa. Sicuti enim aliàs, ut *Danæus* sub initium *Politicorum* suorum ait, nullibi gravius errari ab hominibus & periculosius, quam in *Politicis* solet; ita etiam præprimis de *Majestate* agentibus timendum putaverim errorem ego. *Varietas enim status* (in quo plurimi adsunt errores) *varia facit judicia, quæ in quasvis Respubl. reducenda eadem non sunt.* Verùm hoc non ita hic urgeo, cum non adæquetur meo id proposito. De *Majestate* enim dicere destinavi & in ipsa de illis præsertim, quæ non ita *varia* sunt, sed *constantia* magis præ aliis. Interim tamen egregiâ quadam difficultate, licet primò in oculum non luceat, non carent. Sunt verò istæ, quæ de *Principiis Majestatis Actualibus Dirigentibus* sunt. *Tacitus Hist. IV. c. 65.* autor est, Legatos misisse *Agrippinenses* cum donis ad *Civilem & Velledam*, quos in sancienda pacta habituri erant arbitros, ipsosque legatos omnia ex voluntate perpetrasse; sed coram adire alloquique *Velledam* esse negatum; *arcebantur*, inquit *Tacitus*, *aspectu, quo venerationis plus in esset. Ipsa edita in turri delectus è propinquis consulta responsaque ut internuntius Numinis portabat.* Hæc antequam ingrediar institutum, mihi refero, qui, quid mecum timeam, bene scio. Arcendus ego forsitan essem à proposito? Arceri me, quod fateor, paterer, si plus crederem inesse *venerationis*. Stat stetque *Majestati* sua *veneratio*, quam ego meditamine hocce meo *Politico* pro *veneratione* debitâ venerabor subditus. *Internuntias Numinis personas Majestaticas*, si legitime fuerint *jura Majestatica* nactæ, pie ipse æstimaverim. Portabunt igitur ipsæ in *elata turri*, quam *honorem summum summamque potestatem* interpretor, *jura tuta & salva.* Ego *Majestatis Principia*



*pia Actualia Directiva* sumo pertractanda mihi sine verborum ambagibus. Idque ut fiat feliciter, DIVINAM MAIESTATEM sanctè imploro, quò votò, quod in producendum propositum meum devote feci, ex alto adsit benedicturus illis, quæ mihi de *Majestate humana* dicenda, qua præsens, erunt. Fac igitur, SANCTISSIME DEUS, ut bene incipiam, pergam bene & bene finiam!

§. I. Et cum *principia* dixerim *actualia dirigenda*, in limine explicandum mihi prolixius esset, quid nominibus hic istorum principiorum veniret, nisi in vulgus constiterit jam, quid principium dirigens & actuale sit. Ultimum, ne aucupari materiem, quam satis prolixam habeo, velle videar, mihi, sed breviter, hic recensebo in rem futuram. *Actuale vero principium* dicitur in respectu ad *principium* ejusdem ordinis *directivi habituale*, quod possem dicere *Prudentiam Politicam*, eamque, ut ingenuè Majestati loquar, *perfectam*. Proportio enim hoc vult dici, quæ *Summo Magistratui* *Summum Prudentie* gradum rectè attribuit.

§. II. Duo autem hic accipio *resolvenda*; quorum alterum est: *quid sit illa Prudentia Civilis seu Politica?* alterum: *cur dicatur Principium habituale?* Hæc duo enim sunt, quæ eò melius juvabunt considerationem *principiorum dirigentium actualium*.

§. III. Ad primum quod attinet, ex *habitudine subordinationis* commode me progredi ad id posse autumavero *petita à definitione in conceptu generali facta*, quæ est ap. Arist. lib. 6. ad Nicom. c. 5. *Φρόνησις ἐστὶν ἐξὶς ἀληθῆς μετὰ λόγῳ πρακτικῆ κατὰ τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακὰ* i. e. *Prudentia est habitus cum recta ratione activus circa ea, quæ homini bona & mala sunt*. Subsumi nunc facile erit, quid sit *Prudentia Politica*, si modo in locum τῶ ἀνθρώπων substituatur τὸ πολιτεία, ut series definitiva ita volenti hoc facere ista fluat, quod sit *habitus cum recta ratione activus circa ea, quæ civitati bona & mala sunt*, vel, quod tamen idem est, *quod sit habitus Magistratum civilem benè gerendi*. Hæc dum scribo, velim observari distinctionem illam, quæ



quã inter hominem, quatenus in ordine tum ad semetipsum tum ad alios homines consideratur, distinguunt. Cum verò mentionem fecerim *Prudentia* respectu *Majestatis perfectæ*, descendendum & hæc est ad applicandum *definitionis* statum ad ipsam; quod fiet, si bene ad *Magistratum* illum *supremum* referatur. *Magistratus* enim, quem ita dicam, *Majesticus* secundum habitum *Majestati* competentem & debitum bene etiam sui *Magistratus* in gradu *summo* rationem prospicit, id si agere velit.

§. IV. Alterum verò ex priori candidè fluit. Dum enim *Prudentia*, quam dedi, *habitus* dicatur, ex *ratione habitus* habitualiter dirigit & consequenter habituale dirigens erit principium. Tale enim est prædicatum, quale subjectum; atque ita *habitus* id, quod adscribitur, sub *modum habitus* ipsi adscribetur. Cum igitur *prudentia civilis Majestati*, quid pro republica sit agendum, quid omittendum, quid in instituendam, conservandam & gubernandam rempublicam esse sit, facit id ipsum per morem *habitibus* congruentem. Et huic principio *habituali* è latere adjungitur *principium Directivum actuale*, de quo hic ego agere constitui. Quod autem quid sit vocandum, paucis sequenti exponam lineã.

§. V. Sicuti proinde principium habituale dirigit ut habitus, ita principium actuale, ex legitimã, quam existimo facere me, collatione, dirigit per modum actus. Id verò ipsum quò distinctius intelligatur, in antecessum monendum est, quæ sim futurum dicturus *principia actualia dirigentia*. Sunt illa IUS NATURÆ & PACTA GENTIUM. Posterius seponam hic, prius in rem præsentem inducturus; nec illud etiam totum; sed quã conceptum primum, quo Jus nuncupatur. Explicato enim, quid jus sit, explicatum identidem erit, cur dicantur dicta *principia* duo *principia dirigentia actualia*. Bene autem definitur à C. L. Thomasio Tab. 25. Jus est dictamen recte rationis homines in societate constitutos ad honesta faciendã & turpia vitanda obligans. Ex hac autem definitione quàm facile constabit animadvertenti, quã jus queat dici *actuale principium*, nimirum



quum id habet ex eo, quod dicitur *dictamen recte rationis*. Illud enim *dictamen recte rationis* est *actus intellectus practici rem vel subsequela vel fuga instituenda proponentis*. Cum itaque *recta ratio* dicitur: *hoc faciendum, illud omittendum esse, pro hic & nunc actu* concipitur *dirigere* id, quod prudentia in habitu voluit. Dixi autem per vocem *dirigere & directionis*. Principia sunt *dirigentia non coercentia*. Recenseo hic, cur dicentur principia *dirigentia*. Reliqua infra dabuntur.

§. VI. Hæc omnia autem *preliminaria* sunt ad ea, quæ proponenda in posterum sunt. Ideo autem breviter protuli ista, quod sint clariora eadem infra, cum ad exempla post rem ipsam doctam transcedero. Et ut, misis cæteris, proponam ea distinctè, quum distincta sint, *Ius natura & pacta gentium*, quæ dicebam antea, in distincta dispescam reliquum operæ capita. Sit igitur

## CAP. I.

De

# JURE NATURÆ.

## §. VII.

**P**remittenda hic venit *ocasio* ad principia data duo facienda subministrata. Fuit illa quæstio: *an Majestas sit soluta legibus?* Decisa (loquor ad communissimam sententiam) quæstio est per affirmationem: *recte Majestatem solutam legibus esse*. Rationem si quæras, responderem ego per eam, quæ prima est; scilicet hoc fieri ex *notione summitatis*, qua Majestas summum ob magistratum summa potestas inter Politicos non tantum appellatur, sed & revera est. Ut inde *Arist. III. Pol. 4.* benè eam definiverit, *Summam civitatis ubique potestatem*. Hoc inquit *Albericus gentilis* apud *Keckermannum Curs. Philosoph. Disp. 29. q. 12. p. 27. 1252.* *supremitatis est, ut nihil supra se cernat Princeps, neque hominem neque legem*. Unde *Grotius* definire lo-



iolet Majestatem: *cujus altius alterius juri non subfunt, ita ut al-  
terius voluntatis arbitrio irriti possunt reddi. Cætera hic facilia  
sunt.*

§. VIII. *Legibus autem cum dicitur Majestas soluta  
anxiè quæri fortean nõ debet, quum res in promptu sit ex colla-  
tione instituta ad summitatem dictam. His scilicet legibus  
soluta dici videtur Majestas, quarum intuitu summa est potestas.  
Summa autem potestas est, in respectu ad leges positivas, quas ipsa  
posuit, quæ suppremitatis titulum & officium. Leges enim tales  
sunt infra Principem & Majestatem, non supra, ut Princeps coer-  
ceri queat ab istis. Quapropter concludere consequenter est:  
illis legibus, quæ supra Majestatem sunt, Majestatem non esse solutam  
& has dicimus tum Leges natura & jura naturalia tum pacta gen-  
tium, quatenus huc spectant. Hæc enim duo si attendamus accu-  
ratus suppremitatem in se non concedent, sed vel inferiorem vel  
equalem dabunt. Hoc ut intelligatur, sequentia de Jure na-  
tura & pactis præponi oportebit.*

§. IX. *De Jure naturali acturus non opus puto addu-  
cere varias Juris acceptiones, cum vox satis limitata ex li-  
mitatione intelligatur. Præscriptum enim hic videbitur esse &  
dictamen natura in mutuam societatem ex ratione recta profectum,  
Applica definitionem Juris supra in antecessum datam, quæ pro-  
posito satis erit congrua. Quia igitur jus præscriptum denotat  
& dictamen, non in eum sensum, quò auctoritatem sive iustitiam,  
necessitudinem, jus agnationis, cognationis, locum, in quo jus redi-  
tur, rem Juris ratione ad aliquem pertinentem, artem æqui &  
boni &c. significat, erit trahendum. Vid. acceptiones Juris fi-  
deliter, quantum ad præsens facit, recensitas à Cl. Jacobo Marti-  
ni in Synops. Ethic. lib. 2. c. 16. p. m. 406. Longus ego esse præ-  
ter necessitatem nolo. Limitata voce Juris per natura πρὸς Dio-  
gισμόν, audiendum est, quid Jus naturale sit, perspicacius.*

§. X. *Definitur autem Jus naturale ab Arist. lib. 5.  
Nicomach. c. 10. quod ubique idem valet non quia ita vel decretum sit  
vel non decretum. Gregorius de Valentia Mechymensis 2. Disp. 7. q.  
11. benè admodum Jus naturale definiturus ait, quod sit natura-*

lo



be iudicium seu dictamen, quò per lumen nobis ab aeternà lege ius  
pressum & inditum evidenter cognoscimus ea esse facienda, quae ita  
sunt recta & natura nostra consentaneà, ut ea negligere sit deforme  
& natura repugnans, & contra ea esse vitanda, quae facere turpe sit  
& natura rationali minime congruum. Ideò autem bene ait; quia rō  
esse juris bene observavit, de quo supra, ubi, quid ius sit, dicebatur,  
monitum est. Ius enim in acceptione propria, quae esse debebat  
hic (hic inquā, quid enim extra sphaeram hanc hoc de negotio fiat  
alias, mihi despiciere non est; dico tamen prius tentandas esse  
hypotheses, quam quid dicatur sine hypothesi) Hugo Grotius ita de-  
scribit; Ius naturale est dictatum recta rationis indicans, actus ali-  
cui ex eius convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura ratio-  
nali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac  
consequenter ab auctore natura Deo talem actum aut vetari aut pra-  
cipi. Thomas. 1.2. q. 91. a. 2. legem naturalem vocat naturalem par-  
ticipationem legis aeternae.

§. XI. Ostendi id vero quò possit, quod in propriā ac-  
ceptione Ius dictamen & prescriptum recta rationis sit, per exer-  
citiū ingenii paulo arctius inquiram. Circumspiciens igitur  
Iuris naturam, quomodo se se ad iustitiam, quam hīc intendo  
universalem, habeat, compertum habeo, ius esse iustitiae huius  
principium dirigens actuale eo, quod actu dirigat iustitiam ist-  
hanc prescribendo & obligando in societate civili viventes. Et cum  
iustitia, quam iterum volo, universalis, quae ad societatem civilem  
eiusque beatitudinem respectum gerit, virtus sit, quae sine ratione  
rectā maximè dicitur improprie; consequens erit indubitato  
adserendum: Ius rationem velle in sui essentiam dictam ita stri-  
cte. Argumentor ego hunc in modum; quicquid est principi-  
um dirigens iustitiam universalis actuale, illud oportet esse principi-  
um dirigens cum ratione. Atque Ius tale est. E. utriusque pra-  
missarum veritas sine verò ulteriori unicò constabit.

§. XII. Ex quò, ut peto, clarum erit, non bene, quan-  
tum ad institutum dicere est, de iure naturali dici, quod homi-  
nem, quā animal est, doceat. Cum enim homo, quā animal, recte  
rationis participans nō sit in sensu diviso, sed saltem in sensu composito,  
&c



reduplicativo, quatenus est homo, sequitur; quod ipsum natura  
 Jus naturale non doceat, quatenus est animal; sed quatenus est  
 homo & percipere id potest, quod per rationem praescribitur &  
 dicitur. Dicitur amen recta rationis ex debita proportione confer-  
 tur illi, qui rectam sequi potest rationem. Homo autem, qua ani-  
 mal, id facere nequit; facere igitur potest ex eo, quod ratione  
 praeditus sit. Quomodo vim obligativam ex recta ratione jus  
 habebit, cum non habeat, qui ex ratione recta percepta obligari  
 possit? concipe iterum hic, quod dicebam paulo ante, Jus esse  
 justitiae universalis principium dirigens actuale. Jam vero in vul-  
 gus notum est, Justitiam Universalem respicere homines in civi-  
 li societate constitutos recte beneque in beatitudinem civilem in-  
 tuo ut partes ad totum se habentes; respiciet igitur, priori certò,  
 homines, quia homines sunt; quia respicit eos, quia in societate civili  
 vivunt. In societate enim civili vivunt ut homines, cum societatis  
 hujus civilis, sicut & reliquarum societatum, causa efficiens sit  
 natura humana. Dicitur cum addito hoc: humana; non vero  
 animalica. Licet animalia, quae tantum sunt talia, bruta v. c.  
 apes conversari, vivere, gaudeant, & mores & consilia, remp. re-  
 ges, imperium, obedientiam, leges & instituta ac prope modum o-  
 mnia officia civilia habere videantur; omnia tamen haec simili-  
 tudine tantum habent sive in umbra & imagine, quemadmodum  
 recte concludit C. L. Michael Piccartus Comment. in Lib. I. Pol:  
 Arist. c. 2. p. m. 45. Videantur omnino, quae B. D. Franzkius ad  
 Pandectas Tit. de Just. & Jure n. 106. seqq. it. Exerc. Jurid. 1. q. 3.  
 habet: certum evadit, nullum jus, quale etiam sit, sine ratione substi-  
 stere, adeoque in quocunque subjecto ratio non reperitur, illud etiam  
 protinus iuris omnis incapax existimari. Ea a. ipsa cum animan-  
 tibus brutis denegerur, & ipsam jus proprie illis attribui nequit. (1)  
 inter quos jus est, inter illos etiam equum & bonum, lex & justitia est.  
 Ex duobus enim omne Jus constat aequitate & autoritate & c. (2) Quia  
 bruta expertia sunt injuria, cum enim damnum dant, non injuriam  
 facere dicuntur & c. Reliqua quia non vacat, non adducenda sumo.

§. XIII. Distinguendum in praesens negotium ad cura-  
 te est inter naturam & Jus naturale. Distinctissima haec duo sunt  
 neutiquam confundenda. Non enim statim illud juris naturalis

B

est,



est, quod *naturā* est. Differunt, ut breviter dicam, *ut latius & angustius*. Illud quidem, quod *Juris naturalis* est, etiam *naturæ* est, sed non contra. Ut igitur observetur, quid *Jus naturale* propriè faciat, sciendum ex *Valentia* supra adducto est, quod per *jus naturale* evidenter cognoscamus, ea esse faciendā, quæ ita sunt recta & rationi nostræ consentaneæ, ut ea negligere sit deformis & naturæ repugnans. Nempe quicquid *jus naturale* dicitur, illud sine peccato omitti non potest; *natura* verò quædam dicitur, quæ sine peccato possunt omitti. v.g. progeneratio sobolis est *natura*, non *Juris naturalis*, quia sine peccato illa omitti potest. Si quis enim ex piâ & legitimâ causâ castitatem & continentiam spondeat; ille sine peccato non tantum extra matrimonium, sed etiam extra procreationem sobolis vivere potest. *Educatio* verò liberorum progeneratorum & sustentatio est *Juris naturalis*, quia sine peccato non potest illa ipsa negligi; Conferatur huc *DN. Conringius* de materiâ hac erudite disserens.

§. XIV. Manet exinde firmum, *Jus naturale* esse regulam ratione & voluntate (quæ duo hominem, qui rationum, regularum & conclusionum capax est, constituunt quæ homo est) concipiendam & homini propriè & primario competentem. Est enim illa regula, quæ nobiscum nata, non facta est, ut *Cicero* loquitur; *cujus* verba, quæ habet pro *Milone* & ad institutum meum infra omnino facient, sunt: est, inquit, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex naturâ ipsâ arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias &c.

§. XV. Vel ex voce autem differentiam inter *Jus naturale* & *voluntarium* interjacentem advertimus. Sicut enim *Jus naturale* à *natura*, ita *voluntarium* à *voluntate* dicitur. Hæc *Originem* patefaciunt, quod differentie genus unum est. Definitur *Jus* illud *voluntarium*, vocatum alias *vov.ikov* *Legale*, *Legitimum* & *positivum*, quod sit id, quod à principio, utrum hoc vel illò modò fiat nihil refert, ubi verò fuerit institutum, refert. Nam quemadmodum secundum *Jus naturæ* *adivi*, ut ex verbis *Hugonis Grotii* loquar, alicui ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsâ natura inest moralis turpitudine aut necessitas moralis



ralis, ut consequenter ab ipso DEO actus aut præcipiarur, aut prohibeatur, ita secundum *Jus positivum, legale & voluntarium* actui ex *convenientia aut disconvenientiâ cum voluntate hominum & placito* inesse turpitudinem & necessitatem moralem, concludendum erit.

§. XVI. Dixi autem *originem* unum differentia<sup>æ</sup> genus esse, ex qua *Jus naturale & positivum* differant. Id dici oportuit in respectu ad *alia differentia<sup>æ</sup> genera*, quæ itidem distinctionem in datum utrumque Jus important. Breviter igitur moneo, *tria esse præcipua*, ex quibus sumi differentia inter *duplex illud Jus* possit. Differunt enim (1) *ratione originis*. Jus *natura<sup>e</sup> & naturale à DEO & natura* originem habet; Jus verò *voluntarium à voluntate hominum*. (2) *ratione cognitionis*. Jus *naturale cognoscimus cognitione naturali innatâ*; Jus *voluntarium verò cognitione per promulgationem nobis datâ*. (3) *ratione obligationis*. Jus *naturale obligat & immutabiliter & universaliter* universalitate tum (1) *subjecti*, omnes enim homines obligat, de quibus *natura rationalis* dici potest. (2) *loci*, ubique enim obtinet (3) *temporis*, semper obligat. Jus verò *positivum & voluntarium* obligat quidem, sed & *mutabiliter mutatâ per vi-ces hominum leges positivas ponentium voluntate*; & particulariter sive ad *subjecta* sive ad *loca* sive ad *tempus* respiciamus. Hæc patebunt magis infra.

§. XVII. Benè tamen observandum est, Jus illud, quod dixi *naturale & legale* seu legitimum, non idem esse cum *jure gentium & Civili*, de quibus agunt ICTI. Unde optimè monet *Excell. Thomas Phil. Pract. Tab. XXV. de Jure memb. V. §. . Non*, in-  
quiens, *confundenda divisio juris civilis apud Aristotelem in natu-rale & legitimum cum divisione Juris apud Ictos in Jus Natura, Gentium & Civile, nec cum divisione Grotii in Naturale & legiti-  
mum. Jus enim ut pauca dicam ipsis natura est, ut Justi-  
nianus definit, quod natura omnia animalia docuit; Jus gen-  
tium, quod commune omnium hominum, sive quod à naturali ratione  
inter omnes homines constitutum apud omnes populos peræqua custo-  
ditur; Jus verò civile, quod quisque populus sibi ipse Jus constituit. Id  
quod verò hic disputandum non sumo, quo se modo definiti-*



ones habeant, nec meum id agere institutum est. Interea tamen hoc non prætereo, quod differentia *Aristotelis* fit inter τὸ *Politicum* & *Civile*. Differunt enim ipsi ut *latius* & *angustus*; *Politicum* quidem *latius*, *civile* *angustus*. *Politicum* autem erit juxta *Aristotelem*, quod *Politicis* hominibus societate quadam inter se unitis est commune; *civile* verò, quod cuiusq; proprium est civitatis. Proinde etiam de jure naturali & civili Jus politicum ut universale de inferioribus poterit dici. Frustra igitur sunt ex dictis illi, qui confundere *Aristotelem* dicunt Jus civile cum naturali, quod ipse Jus naturale etiam civile appellet. Politicum vocat terminò Græco, non civile terminò latinò. Hæc autem ideo produco, quia producta proderunt ipsa, cum de Majestate summâ potestate civitatis dicendum se aliquid mihi commodabit.

§. XVIII. Satis, quoad præsens, dictum esto de jure naturæ, tanquam uno principio Majestatem dirigente. Quoad præsens dico. Multa enim plura adhuc tangi potuissent à me de jure, quod naturæ vocamus, si tangenda per propositum fuissent; id verò cum non fuerit mihi visum, rectè tacebo loqui de primo ulterius. Sit itaque

## CAP. II. DE PACTIS GENTIUM.

§. XIX.

Quid verò per *Gentium* pacta hîc intelligendum sit, præmoneri oportet. Pactum à *pacisci* nomen habere notissimum est. Non disputabo autem de *pacti* variis acceptionibus, quas suppono hic; non referam, quomodo à *fœderibus contractibus*, & quæ huc spectarent, aliis distinguatur *pactum*; sed hoc saltim agam, per quod instituto tenacior inhæream. Facere autem id poterò, si restringam hîc ad principium *Majestatis directivum*. Et ut restringam rectiùs, dicenda quædam prius sunt, quæ, quid sit (1) *pactum* (2) *cur pacta gentium* vocentur, ostendent.

§. XX. Sedem meæ materiæ commodam reperio apud  
*Arist.*



*Arist. lib. 1. Rhet. 15. c. ubi pactum definitum est per legem privatam & secundum partem.* Cum enim pacta, ut statim, quod meum est, perquiram, *gentium Majestatis dicantur principium dirigens, leges privatae, & secundum partem* vocanda ipsa bene sunt. Ne verò putes, minus bene pactum ad præsens legem posse vocari *privatam*, ideò, quod ex hac habitudine potius *privatas* respiciat personas, quæ subditæ sunt, *Aristoteles* audiendus est, qui *νόμον ἰδίων* suo vocat idiomate q. d. *legem propriam, appropriatam, ad certam aliquam personam determinatam*; quandoquidē pacta hæc, quæ in præsentem inducenda sunt disquisitionē, non concernunt in *universum & indifferenter* omnes in societate civili copulatas personas: his enim, ut nihil dicam de legibus naturalibus, datæ *leges civiles* sunt, quas omnes in civitate viventes pro *quodam actu suorum regula atque norma obligante ad id, quod rectum est*, ut habet *Grotius lib. 1. c. 1. n. 9.* latas accipere debent & habere acceptas; sed *personas*, quas hic volo, *majestaticas*. Apparet hoc ex additâ *limitatione*, qua *dirigens* Majestatis audiunt *principium*. Additur autem in datâ definitione: *κατὰ μέρος*. Cæterum ad meum rectè loquor institutum *ἢ κατὰ μέρος* expositurus hic. Habemus in *civitate* cives à dignitatis *civilis effectû æstumatos & imperantes Magistratus & parentes subditos*. Partes has dices *civitatis totam civitatem* constituentes. Unde *pacta*, quæ vocant *gentium*, erunt *leges κατὰ μέρος secundum partem civitatis*, scilicet *secundum Magistratum*. *Dirigendi enim Magistratus pactis sunt & conditionibus*, quas infra dicam. Cùm verò *Magistratus in civitate dividatur rursus in summum & subordinatum*; *κατὰ μέρος lex pactum* erit *secundum Magistratum summum*, cui *Majestas* est.

§. XXI. *Becanus Theol. Scholast. Tom. 1. Tract. III. c. 1. q. 1.* Legem in genere ita definit: *quod sit regula & mensura actionum, secundum quam inducitur quis ad agendum vel ab agendo retrahitur*. Rectè, ut puto, in rem præsentem definivisse videtur *Becanus*. *Pactis enim, quæ huc redeunt, data hæc ab ipso definitio* competet, si attendatur, cur *pacta fiant gentium, Majestatiq;* ponantur, nimirum ut sint *regula & mensura actionum* (personæ *Majestaticæ in imperio faciendarum*) secundum quam *inducatur*



summum Magistratus ad agendum ea, quæ recta sunt, & retrahatur ab illis, quæ recta non sunt. Hinc non immeritò duplicem pactis illis vim feceris, alteram inductivam, retractivam alteram. Hæc in antecessum produco, diducenda inferius.

§. XXII. Dubium ulterius suboriri possit alicui: an pactum bene fuerit lex dictum? Aristoteles enim l.c. ita: pacta quidem, ait, non efficiunt legem ratam; leges verò efficiunt rata, quæ cum lege conveniunt, pacta. Videtur hic Aristoteli lex efficiens causa, pactum verò effectus à causa istâ proveniens. Quæcunque jam sese habent ut causa & effectus, illorum unum per alterum in casu recto non poterit definiri. E. neq; lex & pactum, consequenterq; pactum non erit lex. Verùm dubiū hoc tollitur, si, quod quidem ego putaverim, dicatur pactum sumi dupliciter (1) latè (2) strictè. Posteriori modo si accipiatur, videtur concedi posse totum argumentum. Hoc namque modò pactum idem erit, atque id, quod per leges quasdam inter aliquos sancitum, conventum, & ad servandum constitutum est. Priori verò modo si sumatur, negari poterit propositio minor. Hoc enim modo notabit legem, quæ inter quosdam alicujus vel faciendi vel omitendi causa facta est & lata. Hoc velle existimaverim ego Aristotelem dum l.c. pergit: Et omnino lex pactum quoddam est; quare quicumque à πῖσῃ non credit & tollit pactum, leges tollit. Hinc æstimes definitionem datam pro descriptione, mihi perinde erit.

§. XXIII. Pacta verò gentium cur vocentur, paucis cogitandum est. τὸ Gentium adnatum pactis fuit ex Jure gentium (ad quod etiam pacta pertinent) quod ajunt omnes peraque custodire. De definitione nihil hic mutabo: sed tantum præmonebo, quod Jus gentium duplex faciant, primævum & secundarium (quic quid interea de quæstione sit: an distinctio realis sit & necessaria, an minus.) Illud ex DN. Christoph. HAIN à LOVENTHAL Id. Jur. Civ. & Can. lib. I. c. 1. p. 2. seq. describitur: quod naturalis ratio simpliciter, & quasi sponte suâ absque ullo vel non ita difficili discursu inter homines constituit & peræq; apud omnes gentes custoditur; hoc verò: quod usu & humanis necessitatibus exigentibus Gentes tacitò consensu constituerunt, vel quod compositâ mentis notitiâ mediante ratiocinatione sive discursu quodam practico ex conflictu ratiocinationum & suppositione  
usus



usus malitiæq; humana & inde urgentium necessitatum constat & obtinet. Si ex datis ad meum institutum aliquid esse determinandum, dicerem pacta esse Juris gentium secundarii, cum ipsis requisita Juris gentium secundarii quam maximè accedant. Sive enim respicias *rationem*, sive intuearis *usus malitiæ que humana & urgentium necessitatum suppositionem*, habebitur aliquid, quod sit benè gratum pactis, quæ ego ago. Sufficiunt hæc de *pactorum gentium* appellatione.

§. XXIII. Nominibus aliis aliàs penè multis pro ratione circumstantiarum rerum publicarum aliorumque huc intercedentiū circumscribi pacta illa solent gentium. In Imperio Romano-Germanicò (ad quod, cum nostrum sit, primario in sequentibus intendero) dicuntur Capitulationes Cæsareæ. Ut eò tutius uti queam vocabulis, sciendum erit, tales *capitulationes* cum hoc addito pertinere ad *Monarchicum statum*, ubi *summa potestas* est penes unum. Si autem, quod retulerim ego, *Capitulationes Majestaticæ* intelligantur, vox erit fortè omnibus Rerum publicarum formis accommodata. *Capitulationem Cæsaream* DN. HAIN à LOVVENTAHL de Jure Publ. c. 1. lit. f. definit, quod sit *lex Germanorum Regia, qua populi Germanici summum imperium in Imperatorem designatum certis conditionibus defertur*. *Leges regias* hinc etiã vocare quirem *ipsa pacta gentium*; Regibus enim ac Principibus, qui *summã* habent in civitate sua potestatem, *pacta hæc* ceu *leges* proponuntur, ut *propositarũ legum talium eò notior subsequatur vigor*. Diceres & eadem *leges fundamentales imperantibus imperandi modum definitivas ac determinativas*. Secundùm DN. Brautlacht l. 3. c. 3. de *summã potestate* possent dici certa *capitula* (in Imperio nostro Romano-Germanico) *ab imperii Electoribus & Proceribus data restringentia & limitantia potestatem*. Dicenda quoque essent jura hæc gentium *leges imperii*. Quales inveniuntur in *Aurea Bulla* (quam prælaudatus DN. Hainl. citat lit. E. *salutarem & summè pragmaticam sanctionem leges fundamentales, circa quas regimen & acta imperii gravissima exequenda, in se continentem vocat*. *VVurmserus Exercit. l. quest. 6.* appellat eam *communem Reipublicæ sponsonem*) à Carolo IV. & Statibus imperii An. Christi 1396. Noribergæ 9. Jan. & Metisejus dem an-  
ni-



*ni lata.* Nota, quod hæc clausulis derogatoriis munita sit, ut Imperator eam abrogare non valeat. Unde etiam Goldastus in stat. & Rescription. imperii f. 4. & Const. Imperial. Tom. 2. f. 141. refert quod Imperator Romanus electus jurare teneatur, se nolle Auream Bullam abrogare.

§. XXV. Talia pacta gentium igitur rectè sunt etiam illa, quæ per juramenta, quæ persona Majestatica ediderunt sub initium imperii sui, proponuntur. Videantur illa apud Autores. Bodinus duo, quæ præcipuè usurpari solent illis, qui in rem præsentè scripserunt, habet, quorū alterū lib. 1. de Rep. c. 8. p. 138. ex Gergobiorum Archivis petitum tale est: Juro ego per DEUM omnipotentem ac promitto me justè regnaturum, judicium, æquitatem ac misericordiam facturum; alterū Henrici Andium Ducis cum Rex Polonia fieret ejusmodi est: Ego Henricus Rex Poloniae juro DEO omnipotenti, quod omnia jura libertatis, privilegia publica & privata juri communi non contraria, Ecclesiis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, incolis per meos prædecessores Reges & quoscunque Principes Dominos regni Poloniae justè concessa & quæ inter regno decreta sunt, servabo. Dixi hæc duo præcipuè adduci juramenta. Nam qui distinctionem inter juramenta obligantia ad honestatem & leges Divinas atque naturales, & obligantia ad leges civiles & positivas seu legitimas faciunt, prius juramentum ad illorum; posterius ad horum referre solent numerum, putantes illa non imminuere, hæc verò omnino Majestatem. Id quod tamen hic non disputo

§. XXVI. Ab his conventionibus earumque obligatione, inquit Bodinus l. c. p. 137. discedi sine mutuò consensu non potest; & addit: in quo genere Princeps nihil habet, quo subditis superior videatur. Opus autem non erat ab ipso pergi: illud tantum (sc. Princeps habet) quod sublata causa ferenda legis, quam ipse juravit, nec suâ lege tenetur, nec jurejurando civis tenetur. Cætera nosti. Antequam hinc abeam, præmonendum ad hoc erit ex Bodino, quod ait: non igitur conventionum & legum perturbanda est ratio, cum lex ab ejus voluntate pendeat, qui summam in Republicâ potestatem adeptus est & qui suâ lege subditos omnes tenere, ipse verò teneri non potest: at conventio inter cives ac Principem mutuam habet obligationem, à quâ discedi non potest. Ne enim quis arbitretur, frustra dixisse me conventiones & pacta gentium



*gentium Leges*, cum duo hæc *conventio & lex* distinguatur, sciendum est, diversum esse loquendi modum. Lex etenim *dupliciter*, quantum quidem ad præsens attinet, *latè* scilicet & *strictè* accipitur *Latè*, quatenus etiam *conventiones*, quas dixi *pacta gentium*, includit; *strictè* quatenus ab ipsis est aliquid distinctum. Sumsi ego vocabulum *Legis* generaliter, prout denotat *jus vim habens obligandi*. Dicendæ fortean *Bodino Leges* cum addito fuissent, cum etiam *conventiones* sint *leges*. Sed hoc non urgeo. Ne enim prolixior sim eo, quod institui, procedendum mihi ad alia erit, quæ sequentibus, sed breviter, includam. Sit id propter

### CAP. III.

de

## RATIONE DIRECTIVA,

§. XXVI.

Quod verò *Jus nature* *pactaque gentium* sint *principia Majestatem dirigentia*, breviter pro instituti ratione persequar. Idque ut faciam, duo præprimis mihi erunt tractanda. Nempe (1) quod sint *principia dirigentia* (2) quod *salvâ Majestate principia sint talia*.

§. XXVII. Quantum attinet ad prius, duo in ipso sunt, quæ titulus hujus capituli submonet. Cum enim *juris nature* *partorumque gentium* sicut & hæctenus, facta sit mentio, utriusque peracturo mihi erit habenda ratio. Jus igitur nature esse *principium Majestatis directivum*, ostendi potest

*Lex Juris naturalis origine* Nam ipsū à DEO est & *natura*, *immediate* quidē à *natura*, *mediate* vero à DEO. Conferantur huc illa, quæ supra adducta fuere de *Jure nature*. Nolo enim neque in repetendis illis, neque in accumulandis aliis esse operosior debitō. Meum verò facturum, quod hic polcitur, ita argumentor: *Quicquid à DEO & natura est, sub illo etiam Majestas est. Sed Jus nature à DEO est & natura E. & consequenter est principium. Minor est manifestissima; major multâ operâ in sui probati-*

C

bati-



bationem non utitur. Loquimur enim hic de *Majestati humana*,  
quæ in *terris* est, de *Principe humano*. Sicuti igitur sese habet  
quivis homo ad *DEUM*, tanquam absolutè supremum; & natura  
tam tq. respectivè supremam; ita sese habet & *Princeps*, qui veste  
exui prorsus non poterit humana. Sed quilibet homo ita sese habet ad  
*DEUM* & *Naturam*, ut utroque sit inferior. E. *Princeps* enim  
titulum principatus sui tuetur primò respectu inferiorum  
subditorum. Optime ait *VIR AMPLISSIMUS & Excellentissimus*  
*DN. Georgius GOEZIUS MORALIUM PROFESSOR ordinarius*,  
*Præceptor meus summopere colendus in Lect. Publ. Politicis*  
*lib. I. de Societ. Sect. 7. de Majestate ejusque juribus Propos. 2.* post-  
quam distinctè explicaverat terminos in propositione: *Majestas*  
*est soluta legibus*, obvius conclusionem primam formans:  
*Majestas non est soluta legibus naturalibus, neq; in totum neq; in*  
*tantum*, Ratio est, quam *VIR* laudatus addit, quia *Majestas* non  
habet aliam libertatem sive exemptionem, quàm à totà societate in  
ipsam collata fuit. Vides hic exemptionem hanc se non exten-  
dere ad *leges naturales*. Unde etiam *Albericus Gentilis*, quem  
supra citatum à *Kekermano Curs. Philos. Disp. 29. q. 12.* retuli,  
inquit, hoc *supremitatis* (qua pollet *Princeps*) est, ut nihil supra  
se unquam cernat *Princeps* neque hominem neque legem. Ex quibus  
oppidò constabit, legibus illis *Principem solutum* non esse, quæ à  
*natura*, quæ superior est *Principe*, & à *Deo*, qui *supremitatis* omni-  
modæ Possessor est, sunt. Nam quæ leges ex *potestate* *Principis* nõ  
proveniunt, supra illas esse non poterit, de quo postea dicendũ  
ulterius aliquid erit. *Legislator* *Princeps* legum naturalium  
non est, sed *DEUS*, quem ita vocat *Svaretz. l. 2 de L. c. 6.* Sed cur  
in re tam certã operosior esse studeam? *Majestatem* porro diri-  
gi per *Jus naturale* ostenditur

II. *Ex Juris naturalis obligatione.* Provoco hinc itidem ad  
superiora. Argumentor tamen ad compendium faciendum  
dicendorum hoc modo: *Quicquid obligat univorsaliter, uni-*  
*versalitate tum subiecti tum loci tum temporis, illud etiã Majestati*  
*in terris obligat. Sed Jus nature ita obligat.* E. Major manifesta est.  
Minorem ex terminis puto apparere suis. Cum *naturale* à na-  
tura nomen habet, eò quod *natura* id dicitur, *naturaque* cum  
omnibus in sit, nullusq; ullibi & unquam reperitur, qui desti-  
tuatur



tuatur *naturā*, consequens necessarium erit, *naturā rectā* ad id, quod dicitur, obligare. Id ut distinctius evadat, produco huc *duplicem*, quam communiter faciunt, legum obligationem, *directivam* scilicet & *coactivam*. Illam vocant, quā leges ad *obsequium*; hanc, qua ad *culpam* obligant. Utriq; dabitur hic aliquid, ex quo Majoris propositionis queat vis educi. Dicitur enim *recte rationis*, quod à Deo est atq; *naturā*, & ad *obsequium* obligat & ad *culpam* & *reatum*. Ad *obsequium*; sunt enim *Leges scitæ superioris* (NB) *potentiæ*, quibus in officio continentur, qui suā sponte officium facere recusant. Vid: B. D. N. Arumens Disf. Acad. de Jure Publ. VIII. thes. 12. Cum enim omnes per corruptā naturā simus refractarii ad unū, DEUS mediante *natura rectā* retragantes in officio in legum suarum nobis inditarum *obsequium* retinet. Ad *culpam* verò quomodo obliget *Jus naturæ*, antequam dicam, dicendum erit, quid per *culpam* hic intelligatur. Dicebat ipsam nuper VIR *Amplissimus & Excellentissimus DN. PHILIPPUS MULLERUS* Orator Jenensis Professor, Præceptor meus maxime observandus, cum disputaret de Legibus, *maculam sive turpitudinem moralem ex actu peccati ortam per modum formæ subdito disconvenientis eumq; deturpantis*. Ad *culpam* igitur & *reatum* quod obliget *Jus naturæ Majestatem*, exinde constabit, quia, ut est apud DN. Arumens I. c. 9. 16. Princeps *Majestatem* obtinens in leges hasce (Dei, *Naturæ & recte rationis*, quas recensitas 9. præced. videre est) peccat dupliciter (1) dum non recte circa eas in Remp. inducendas versatur (2) si in ipsa gubernatione non observet. Priori modo (verba adduci omnino merentur ex 9. 17. & 18.) si aliter disponere præsumat ac Jure divino factum aut *Jus naturæ fieri* jubeat. Ita Casimirus M. Rex Poloniae de homicidiis legem tulit, quā se dixit corrigere voluisse rigorem legum divinarum & humanarum lib. 1. Stat. Polon. c. 15. a. 6. l. 7. Erenus Scotiae Rex legem statuit, qua præfectis in suo cuique territorio sponsarum virginitatem delibandi copiam faciebat. Posteriori modo: si Princeps contra *Jus divinum* dispenset vel pœnæ gratiam faciat, maxime in pœnis, quæ naturali ratione nituntur, ut è pœna homicidii, ubi vix tute limitatiuncula Dd Heigii p. 2. q. 23. Vasq. Illust. q. 27. nisi necessitas id exigat *Reipublica*. Ita pepercit David Joabo 2.



*Sam. 3. v. ult. Hæc ideo ex alio adduco, quod meis verbis sint splendidi-  
diora. Sed quid velim hisce, facile erit advertere. Unicâ lineâ  
id eloquar. Hoc puto: quia *Majestate* gaudens Princeps peccare  
sic potest in *ius naturæ*, obligabitur certè ad *culpam & reatum*.  
Cum autem *Jus naturæ universaliter* obliget, trinâ ista uiver-  
sali- tate, obscurum collectu non erit, *Jus illud esse immutabile*.  
De qua adsertione ut pauca ingeram, quæ pro me facient, se-  
quentia notanda propono. Dico autem *Jus naturale esse immu-  
tabile*. Idque duobus probatum ibo (1) *immutabilitate primo-  
rum principiorum* (2) *immutabilitate primi Principis*. Cum enim  
*Jus naturale contineat prima principia*, eaque sint à DEO men-  
tibus hominum impressa, consequenter firma, benè conclude-  
tur, *Jus naturale dicitur hæc ipsa principia esse immutabile, stabili-  
s*. Hoc unum prius erat; alterum verò posterius est: *Jus natura-  
le à DEO esse*, quod dudum auditum est, qui, quoniam *immuta-  
bilitatis omnis expertus est*, mutari non potest, & quum ea, quæ  
lex naturæ ponit, vera rectaque fuerint in mente divina, erunt si-  
militer firma rectaque & vera in mentibus hominum. Ut igitur  
merito *Amplissimus Vir Professor DN. GOEZIUS lib. 3. de legibus  
Sect. 2. §. 11.* propositionem formaverit ita: *Jus natura est immu-  
tabile tam ab abrogatione, quam à dispensatione*. Explicat eam in  
ethesi: *ideo abrogari non potest, quia ejus vis non pendet ex ullius  
legislatoris arbitrio, sed ex in trinsicâ objecti sui qualitate*. Ad di-  
spensationem verò quod attinet, à qua quoq; immutabile *Jus  
naturæ dicitur*, optimè ibi etiam explicatis prius terminis ex-  
plicat dicendo: *omnimodam immutabilitatem à dispensatione  
propriè dictâ legi naturæ convenire, tam in ordine ad DEUM,  
quam in ordine ad homines*. De hominibus, inquit, *res clara est: hi e-  
nim ut superiores lege naturæ non sunt, ita nullam facultatem in le-  
gem naturæ habere præsumuntur*. Quod autem, pergit, *DEUM  
concernit, illum in Jus naturæ non posse dispensare propriè loquendo,  
hoc est, non posse efficere, ut res intrinsecè bona non obliget  
hominem ad prosequendum, intrinsecè mala ad fugiendum; exinde  
clarum est, quia DEUS per absolutam suam potentiam effice-  
re non potest, ut res intrinsecè bona sit, & non habeat ea, quæ ex in-  
trinsecâ bonitate profluunt, ut intrinsecè mala sit, & non habeat,  
quæ intrinsecam malitiam necessario sequuntur, qualia sunt obliga-  
tio**



*ratio ad prosequendum, obligatio ad fugiendum.* Si quis dicat: Jura naturalia sæpius pati restrictionem mutariq; videri ab hominibus, duo itidem habeo quæ in compendium revoco (1) à restrictione ad mutationem N.V.C. (2) à mutatione ratione subjectorum ad mutationem ratione sui N.V.C. restringantur licet, non ideo mutantur; licet videantur mutari ab hominibus, non mutantur in se. Nota: homines se mutant mutareque possunt naturam rectam averfando; non Jus naturæ mutatur. Vid. duo exempla, quæ antea data sunt. Claudam periodum hanc verbis *Lactant. lib. 6. de vero Cultu cap. 8:* suscipienda igitur DEI lex est, quæ nos ad hoc (summam sapientiam Virtutisq; pactum sine errore ullo) iter dirigat illa sancta, illa cœlestis; est vera lex, recta ratione congruens, diffusa NB. in omnes, constans, sempiterna; paulo post: nec verò aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus: neq; est querendus explanator, aut interpret ejus alius. Nec erit alia lex NB. Rome, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit, unusque erit communis quasi Magister & Imperator omnium DEUS; ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernabitur, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cœtera supplicia, quæ putantur, effugerit. Hæc ideo dedi ex *Lactantio*, quia mirum in modum & hanc & præcedentem periodum exornant. Tandem Jus naturale Majestatem dirigere, ostenditur

III. *Ex juris naturalis cognitione.* Ne enim ignorantia in excusationem obtendatur hinc, adducenda Juris hujus cognitio erat. Nam nemo obligatur ad id quod scire non potuit. Hinc veluti promulgatio causa se se habet sine qua non, vel requisitum aliquod necessarium, ad legem positivam, ita quoque promulgatiorem suam habebit Jus naturale; sed illa naturalis est ex debita ad naturale proportionem, vocata aliàs cognitio naturalis. Argumentor pro instituto hac formâ: Cujuscunque obligationis cognitionem Majestas à natura habet, ad id quoque obligatur; sed Juris Nat. obligationis cognitionem à natura habet. E. Minor satis patet ex supra dictis, ubi dictamen inscriptum hominum mentibus audivimus ipsum. Majoris verò connectio hæc erit: dicitur cognitio (cum addito) obligationis,



quam præsupponendam do hic ex prioribus; non vero cognitio sine addito. Alias enim majoris vis non ita valida esset. Cum igitur obligationem Juris Naturalis Princeps sentiat cognoscatque, utique ex tali cognita obligatione aut vi obligativa obligabitur. Rem effero ex lege civili. Lex illa civilis sicuti obligativam vim datam à legislatore habet, adeò, ut possit obligare, quod etiã facit cognita per promulgationem obligatione; ita & lex natura post sui cognitionem obligabit. Illud caeleste nomen est, inquit Lactantius c. l. quod sanis mentibus multò clarius sole est, quam hic, quem carne mortali videmus. Accedit ex hisce, quod ejus cognitio clarissima sit, ita, ut neminem rectæ mentis præterire queat, quin apprehendatur.

§. XXVIII. Nunc ad pacta gentium progredior quasi-turus, an etiã hæc habeant rationem directivam. Pluribus id quidem declarari posset, si res posceret ipsa, quæ ex terminis supra habitis multum sibi lucrata fortassis est, & propositum meum, quo brevis esse volui, id concederet fieri. Paucissimis igitur ea absolvam, quæ restant agenda, ita tamen, ut præcipua scribam, ex quibus reliqua facilia erunt deductu. Argumentor autem & quidem (1) ex pactorum origine hoc modo: Cujuscunque servatio desumitur ex lege natura, illud omnino Majestatem ut principium directivum dirigit. Sed pactorum gentium servatio desumitur ex lege natura E. Major erit clara ex eo, quod de lege natura dictum ad hæc usque est: quia enim lex natura obligat omnes homines eosque dirigit, non excluso Principe, sequitur quod etiam illud, quod ex lege naturæ desumitur, directivam vim sibi sumat eò, quod propullulet ex ea. Minorem quod concernit, quæ pacta gentium sint suppono; cæterum non male putaverim à Bodino lib. 1. Rep. c. 8. p. 157. dictum: nulla fere conventio, nulla obligatio cogitari potest, quæ non sit natura & gentium omnium communis. (2) Ex pactorum natura argumentor hoc tenore: Cujuscunque respectu Princeps est inferior & privatus ab illo quoque Princeps potest dirigi. Atque pactorum respectu Princeps est inferior & privatus E. Majoris lux accenditur ex superioribus, ubi monitum sub discursum fuit, quod obligatio inferioritate velit sibi proportionatam. Minore probò ex Tol. lib. 7. c. 20. n. 47. quæ citat ita Keckerm. & qui ait: Princeps tum (loquitur de con-

ven-



ventionibus & pactis) induit naturam inferioris, quia contractus est inter pares; in quibus Princeps habetur pro privato, siquidem se submittit juris NB. communis dispositioni, sequendo formam à iure civili vel gentium præscriptam. Sed satis esto pro capitibus præcipuis adductis. Diduci hæc possent quàm facile. Diducenda etiam, si dabitur occasio, in conflictu ipso publicè instituendo enarrabo. Manum igitur de falce.

§. XXIX. Atque hætenus primum §. 27. positum edisserui, quod de jure naturali & gentium edisseri mihi incumbat pro instituti modo. Restat, ut breviter perspiciam alterum, quod c. §. tradebatur. Quod sc. *salvâ Maiestate* sint *principia directiva*. De *Jure naturali* nullum erit dubium, quod mereatur nomen dubii. Transeat igitur istud; difficultari magis de *pactis* solet. Et non desunt dicentes: neque *Principem* teneri *pactis sive conventionibus*, & quas supra dixi, *legibus fundamentalibus*, quod Princeps omnia *jura Maiestatis possideat*, eaque quando libet, exercere possit, cum conveniat esse *summam potestatem à legibus liberam*. Cui etenim tales instituantur *leges à communitate*, princeps absolutè esse nequeat, cum *superiorem* agnoscat, nempe *communitatem*, quæ *summam*, quâ tecum foveat, in ipsum non transferat potestatem, sed sibi retineat. Verum mihi contraria sententia admodum placet. Ut ostendam per rationem meum facio, quod *Præceptor Meus Amplissimus DN. GOEZIUS Sect. 5 Prop. c.* habet. Cum enim Scholasticorum distinctionem inter vim legis *coactivam & directivam* adducit, dicit *concl. 1. societas abdicavit se munere iudicandi eo ipso, quò Maiestatem in Principem contulit*. Argumentor ego ex verbis: à quocunque societas se non abdicavit, per illud collata *Majestas non fuit*. Atque à *conventionibus nulla societas se abdicat*. E. Quid verò putem hoc, dicam, postquam audivero DN. *Lampadium in tract. de Rep. Rom. Germ. c. 2. §. 11.* cum ait: *næ ille istiusmodi conventiones non satis adsequitur, qui Imperium potius iis dari, quam denegari existimat, excipiuntur his conventionibus imperii NB. partes, quas in Principem non conferunt Electores, sed sibi statibusque reservant, in statum pariter & Cesaris moderamine relictas, non detracta verò his legibus imperii partes, iisdem conditionibus in Casarem transeunt, quibus absolutè NB. potestatis princeps perfruitur.* Conclusio  
ex.



ex hisce talis erit: *Conventionibus Majestas potius denegatur quam datur.* Hanc autem ideo cum *Lampadio* conclusionem facio, quia facta ipsa rem ad dicendum in compendio sistit. Ad versam enim qui fovent sententiam putantes, *conventionibus si teneatur Princeps, Majestatem ne dari quidem, multo minus Majestatem iis ipsis dirigi, quã vim directivam, quã supra dedi, contra eos Argumentor: quicquid potius denegat, quam ut det Principi imperiũ, illud ipsum salvã Majestate sive concessã summã potestate haberi potest vi directivã. Sed conventiones ita se habent E.* Et cũ agere susceperim cum DN. *Lampadio*, qui in præsens negotium admodum accuratus est, ulterius cœtera cum eodem eloquar. *Capitulatio verò, inquit ipse, de data potestate nihil imminuit, sed quas Majestatis partes non imperiant Electores, declarat, & si paulò profundius penetraremus, rebus potius quam verbis dediti, nulla penè deprehenderetur conventio. Esquid enim conventionis est, si de re meã in debita non dandã pacisceret? ecce vendo tibi fundum, tertiã parte detractã, namnam de parte, neque venditã neque traditã convenisse indicabor. Argumentor ego: Quodcunque partes Majestatis indebitas reservat, illud non imminuit Majestatem. Sed conventio hoc facit. E, satis dictum esto.*

Vellem hinc *L. B.* satis fecisse me Tuo postulato, sed veniam dabis primitiis, quæ sumtæ in *Politica* sunt. Dabo operam, ut in posterum cum DEO plus faciam ingenio, quod jam tum in Te politum est, adcuto. Favebis volenti hæc, quæ noluisse, si acumini omnia fuissent æqui paranda. Plura ego nolui, nec potui per institutum velle plura præsentem in materiam. Spondeo igitur mihi Tuam *L. B.* benevolentiam, gratias interea

devotissimas aucturus

DEO  
omnium

FINI.

*E. P. Richter Petrus p. 11. 11. 11.*





ULB Halle

3


005 132 436



VD17











172.

1667, 1718  
XXII  
18

DISSERTATIO POLITICA  
De  
**PRINCIPIIS**  
**MAIESTATEM**  
**DIRIGENTIBUS ACTUALIBUS,**

*Quam*  
DIVINA SANCTISSIMI NUMINIS  
GRATIA

*&*  
Amplissimæ Facultatis Philosophi-  
cæ CONSENSU

*in*  
Academia JENENSI florentis-  
sima

PRAESIDE  
M. JO. FRIDERICO NICOLAI,  
QVEFURTO-SAXONE

publice ventilandam Doctis proponit  
EIBENIUS EYBEN,

Esenâ Frisus

A U T O R.

die Octobris Anno M DC LXVII.

---

JENÆ,  
Literis Johannis Jacobi Bauhoferi.

